Dem Herrn Professor
Ramshorn
von
dem Verf.

SOLLEMNIA

IN

ILLVSTRI RVTHENEO

SVB INITIO ANNI MDCCCXXIX

D. II. IANVAR.

EX INSTITVTO MAIORVM

RITE PERAGENDA

PVBLICE INDICIT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG

PROFESSOR ELOQ.

Inest

Observationum in nonnullos veterum scriptorum locos

Particula II.

GERAE.

Factum est singulari quodam, neque tamen si temporum nostrorum ac studiorum qualis nunc apud homines literatos exstat rationem respexeris, inexspectato rerum fortuitarum casu, ut in uno eodemque opere vel exaedificando, vel exornando, vel, si tempestatum iniuria tentatum sive totum sive ex parte labatur, restaurando ac reficiendo non singuli, sed plures, imo multi multam operam collocarent. Ea enim est saeculi nostri natura et indoles, ut summa virium tum animi tum corporis contentione in novo aliquo effingendo vel excudendo elaborasse dulce habeatur atque decorum, adeo ut, in quo tamen ne temere praeiudicando prava feratur sententia cavendum est, tanto praestantior existimetur hominis qualiscunque labor et industria, quo plura quoque ampliora adsiduitatis ac diligentiae exhibuerit monumenta externa. Cuius quidem enixe atque impense in aliqua arte elaborandi studii duplex potissimum in oculos incurrere videtur caussa: unam, si artificum quos vocant opificumque intuearis mirabiles ac prioris aevi conamina multum exsuperantes labores, virium paene appelles humanarum vexationes, in rerum ad victum necessariarum conspicies penuria inque suae ac suorum vitae sustentandae in dies crescente difficultate; alteram, si virorum doctorum in literis artibusque excolendis ac perpoliendis perlustres indefessum et inexplebilem fervorem, in subsidiorum, quibus ad operam impendendam excitentur, in laborando subleventur, ingenti invenies copia: librorum scilicet a typographis descriptorum et codicum manu scriptorum immensum dicimus numerum, atque omnino in facili qui nunc huius rei cupidis per omnes fere Europae terras ad insigniores nonnullas vel ex antiquitate vel ex recentiore aevo picturarum, statuarum, inscriptionum, vasorum caelatorum, aedificiorum reliquias, aliaque vel natura vel manu facta rerum gestarum monumenta patet aditu. Quibus accedit tertium quiddam, omnibus haud

dubie nostrae aetatis hominibus commune, aemulationis nimirum studium; cuius stimulis quum olim nonnisi vel genere vel loco cognati atque adfines concitarentur, quippe quum longe plurima orbis terrarum densa caligine iacerent obtecta: at nunc, ut quod est acre atque alacre omnium populorum ac gentium commercium liberiorque inter alienissimas terras tum factorum tum cogitatorum veluti commeatus, omnes fere liberaliter educati atque ad humanitatis sensum aliquo pacto informati libenter se instigari non tam patiuntur quam adfectant. Hinc ubique locorum videre licet ingentes veluti belli apparatus: arma portare, festinare, huc illucve trepidare; vexat enim nonnullos, quamquam a malis saeculi moribus dissentiant, ambitio vulgique existimatio; — aggerem struere; cogitare de eo nos iubent vel lectionum varietates, vel coniecturarum moles, vel electorum tumidi commentarii, vel adnotatorum cumulati acervi: machinas agere; commonefacimus te qui multorum animos mortalium occuparit alienas sententias impugnandi pruritus; denique praedam agere sectionemque divendere, si undecunque comportata et coacta pro suis hominibus certe vulgaribus venumdare callidiores nonnullos compereris. Verum ne magis ioca quam seria tractare videamur, id unum efficere volumus, ut et nostro molimini aliqua ab aequis et iustis contingat arbitris excusatio, et prava eorum perstringatur temeritas, qui tantum novarum rerum studio abrepti, neque honesto veritatis adipiscendae amore ducti, in aliorum quos censent errores infesto veluti et concitato impetu irruant, neque, etiamsi irrita in adversarios coniecerint tela, bello excedere velint. [1]) Constituimus enim

1) Habemus hac in re nobis consentientem virum, quem tum ob laudabilem qua erga nos aliosque usus est in iudicando modestiam ac temperantiam, tum ob insignem doctrinam ingeniique aciem tam magni aestimamus, ut utri eius virtuti plus tribuamus, fluctuemus, clarissimum Kritzium, Sallustianorum operum editorem novissimum, quorum Vol. 1. prostat Lipsiae apud Hartmannum 1828. Cfr. Praef. p. X. — At contra aliam, imo a temperati iudicis persona aliquanto abhorrentem sequi placuit rationem censori operae nostrae quantumvis exiguae in Sallustium ante hos aliquot annos collatae aspero atque iniquo. Cui si unquam malum dedissem, equidem nunc acceptum non dolerem, quum par pari referre perinde amicorum et bonorum, atque infestorum illiberaliumque hominum pro ingeniorum pravitate esse soleat. Verum ab ea quam ipsa naturae humanae imbecillitas atque inde ad peccandum proclivitas

in eo quod semel paravimus pergere itinere, praesertim quum penes quos hac de re iudicium est compluribus comprobata sit opera nostra

---

non suadet, sed efflagitat animi moderatione quod me nusquam descivisse meminerim, adhuc non poenitet. Neque vero ut ad bonam frugem quis redeat et resipiscat, vana et inanis efficit disputatio vitiorumque immitis criminatio neque levibus levium tuenda armis veritas. At leviter nobis rem tetigisse videtur vir ille doctus, cui parva haec rependere liceat, ne ubi firmis idoneisque rationibus agendum erat, solam rei invidiam in nos reiecisse videatur. Insectatur enim praecipue duas a nobis pronunciatas sententias, quarum una eo continebatur, quod notionem *corporis* ad Sallust. Cat. 33, 1. p. 168 edit. nostrae ad *libertatem* maxime *externam* spectare adnotaveramus: nihil scilicet esse, ait ille, nisi *pronominis personalis* circumscriptionem. Audias mirificum et plane novum loci luculentissimi interpretem, quem non piguerit exilem ac ieiunam elegantissimo scriptori intrudere sententiam, dummodo praeconceptae suae opinioni indulserit. Nam primum quidem, de quo inter omnes convenit, qui ante nos locum modo commemoratum explicuerunt, aere alieno oppressos apud Romanos ad *serviles operas* condemnari solitos fuisse, si iusto tempore non solvissent, — et propterea *nexos* appellatos, ideoque *libertate*, quam potestatem vivendi uti velis interpretatur Cicero, Parad. V. privatos, innumera exstant veterum scriptorum testimonia, quorum plura ad l. l. enumeravit Corte, cui adstipulatur Kritzius. Praecipuam adfert nexorum qui fuerit in civitate Romana status quaeque conditio inquirenti lucem Livius II, 23. 27. et 28, 7. ubi diserte his usus est verbis rerum Romanarum praeclarissimus auctor: *libertatem* unicuique sc. nexorum prius reddendam esse, quam arma danda, ut pro patria civibusque, non pro *dominis* pugnent. Cfr. Liv. XXI, 13. coll. IX, 8, 5. ubi leguntur verba: nec quidquam praeterquam *corpora nostra* debentur Samnitibus; pro quibus eodem loco scriptor §. 9. posuit: *capita nostra;* nimirum indicare vult, supplicium corporis esse, non animi aut mentis. Deinde valde dubito Sallustii fuisse, corporis nomen adhibere ad totius naturae humanae notionem describendam, utpote qui *animi* imperio, *corporis* servitio magis nos uti non sine manifesta quadam sententiae gravitate elocutus sit; praesertim quum tam vago et fluxo dicendi generi omnis omnino Sallustiani operis adversetur virtus, quae propria rerum vocabula eligendi et collocandi eximia arte continetur, ac vel levissimum quo res inter se distent discrimen haud obscuris insignit notis. Cfr. Catil. c. 20. extr. Iug. c. 2. in. Conferat porro, si vacat, iudicii nostri castigator, apud Romanos qui aetate Catilinae erat nexorum statum cum pari olim pauperum et egenorum hominum, qui debitis pecuniis solvendis impares essent, in civitate Atheniensium servili conditione, ex qua Solon obaeratos in libertatem vindicasse traditur. Plutarch. vit. Sol. c. 15. *Ἔγραψε πρὸς τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν;* atque in carminibus idem ille legislator *τὴν γῆν πατρίδα πρόσθεν*

qualiscunque in optimorum scriptorum sermone vel accuratius explicando, vel ab aliquot maculis undequaque adspersis purgando nuper

---

δουλεύουσαν, νῦν ἐλευθέραν celebrat. — Plura hac de re produnt ICtorum commentarii et qui brevius rem expedit Heinecc. in Antiquitatt. Iur. Rom. p. 605 sq. edit. Haubold. *) — Sequitur alterum quod viro illi censorio edere placuit criminationis exemplum, utpote qui inter commenta atque imaginationis effervescentis spectra referat, quod equidem contenderim discriminis aliquantum interesse memoriam inter *quam maxume longam* efficere, atque *quam longissimam*. Verum quum mihi haec veluti in transitu monenti magis elaborandum sit, ut satietatem effugiam, quam ut studiorum meorum rationem excusem, et si quid deliquerim, iniuriam illatam deprecer, id unum cum aequioribus huius rei arbitris communicasse satis sit, quod perspectum nobis esse atque compertum non arrogantis habeatur fateri, sed suam ipsius caussam rite dicentis. Teneant igitur, quorum haec cognoscere interest, tirones, particulam *quam* ubique notionem suam praecipuam obtinere, *correlativam* scilicet quam vocant, eandemque *comparativam*. Atqui omnis comparatio non fit absolute s. simpliciter, sed ex ipsa conditione tum comparantis, tum rei comparatae vel comparandae. Unde manifestum est illud de quo disputamus discrimen inter Superlativi formam simplicem et eam, quam cognominare liceat *periphrasticam* vel *comparativam* et *analogicam*. Sed quum in comparatione instituenda id nobis maxime propositum sit, ut summam aliquam et perfectam ponamus in quovis genere speciem, ad quam res comparandas vel proxime accedere statuamus vel aliquanto distare edicamus, altera quam *intensivam* appellare solent vis enascitur, particulae illi adhaerens correlativae *quam*: cui adfinis est, id quod sponte intelligitur, *subiectiva* iudicandi et enunciandi ratio. Ad hanc velim normam dirigas dicendi usum perpendasque scriptorum exempla, veluti Sall. Cat. 5, 6. lubido *maxuma*; §. 8. *pessuma* mala, cfr. c. 18 extr. c. 5, 9. *pulcherruma*, *flagitiosissima*, coll. 8, 5. 9, 1. 10, 6. — c. 52, 24. *nobilissimi* — gens *infestissima*. §. 31. *crudelissimis* parricidis. c. 60, 7. *confertissimi*. Inprimis Sallustio frequentata est vox: *maxumus*. c. 9, 4. c. 20, 3. c. 49, 2. 3. Nimirum inveniet nobisque adsentietur, quicunque non optimos scriptores omnia omnino pro lubitu et inconsulto, verbis undequaque obviis locutos esse opinetur, ita ut magis lubidini indulsisse quam rationis praeceptis obtemperasse putentur, simplicem illam Superlativi formam tunc usurpatam fuisse, ubi in suo quidque genere prae ceteris excellere existimatum fuerit; quo fit ut interdum *iustissimus* aequet *valde iustum*, dumne supplementi loco additus legatur Genitivus corporis alicuius, cuius Superlativus iste quasi pars habeatur, veluti: *omnium*. At nemo facile modestus vel

*) Itaque illam, quam hoc loco repudiamus interpretationem vocabuli *corpora*, ablegemus ad solos poëtas, velut Virgil. Aen. III, 623.

collocata. Et quum propositum esset ea potissimum grammaticae et criticae artis in censum vocare capita, quorum cum reliquis studiis nostris arctior aliqua esset communio, ab hoc consilio eo minus recedere

---

pudicus magna voce clamitat, aut iactat atque ostentat, quae rectius iudicasse penitiusque perspexisse putat, neque vim vocabulorum inflat acriusque incendit, sed moderatur ac temperat, ubi de semet ipso verba facere parat. Hanc vero moderationem adhibet tunc, ubi pro sua sentiendi ratione ac modo aliquid in suo genere non ad summum adscendisse gradum adfirmat, sed *tam* quocunque evectum esse altitudinis, *quam fieri potuerit.* A quo quidem sensu abesse non potest animi vehementior quaedam adfectio: quare passim periphrasim, quam nominare licet, illam invenies, a misericordia, ab odio atque invidia, a pudore, a sollicitudine, ab ambitione aliisque mentis animique perturbationibus non prorsus liberam atque integram, velut: quam *verissime potero* Cat. 18, 2. cui dictioni comparandae sunt hae: *imperium multo maxime miserabile* c. 36, 4. *inprimis magnum puto* c. 51, 41. *longe divorsas* literas c. 34, 3. Cfr. Caes. B. G. I, 7. in. et 3. in. Verum particula *quam* quum proprie ad *verbum aliquod omissum* referenda sit, quale est *posse*, id quod multo saepius ad sententiam explendam additur quam silentio praeteritur, cfr. Ramshorn p. 321. aliisque innumeris abundant exemplis praestantissimorum scriptorum libri, — quid est cur dubitemus, quin etiam *maxume* in loco Sallust. supra laudato (Catil. I, 3.) magis ad *verbum* spectet, quod suppleamus necesse est, quam ad nomen adiectivum *longam?* Nimirum *memoriam quam maxume longam efficere* num aliud quid est nisi: ultra vitae terminos extendere atque tueri quantum fieri potest diutissime? (au tant que possible) Alia enim ratio est et conditio *Adverbiorum*, quae *Adiectivis* nominibus, alia quae *Verbis* adiungantur. Quae quidem disputantes quum ad calcem pervenire loci et temporis angustiae nos non patiantur, aliquot saltem notis distinxisse caussam litis sufficiat, modo id ne obliviscamur, eam facillime dirimi posse, si quis antiquorum hominum quempiam audivisset locum illum recitantem: tunc fore existimamus, ut omnibus stet sententia, verba *quam maxume* continuo, vocem *longam*, quippe quae opposita sit vocabulo *brevis*, elatiore spiritu pronunciari debere. Videant iam lectores, utrum merito conquesti simus censoris gravissimi in iudicando iniquitatem, in interpretando levitatem; cui nescio an nullus subtilioris rerum cognitionis, amplioris doctrinae, et quod summum est, liberalioris animi in libellis aliorum recognoscendis emendandisque palmam tribuat. Neque enim, ut Plinii auctoritatem provocem Ep. V, 1, 13. facile quis est tam sapiens, ut nihil eius intersit, an iis quae honeste fecisse se credat, testificatio quaedam et quasi praemium accedat.

placuit, quo magis ad novum quoddam certamen ineundum provocati videamur. Quod ne insolentis et inflati animi habeatur signum, eo nisi fallor tanquam firmissimo ac tutissimo prohibebimus munimento, ut quae sit de quibusdam locis inter nos dissensio, quaeque in diversa abeundi ratio nobis suppeditet probabilis placida et luculenta exponamus oratione: neque enim rerum de quibus inter nos lis est, aequos et iustos arbitros tam remotos, quam ut praesto sint, arcessitos habere cupimus. Est vero, quem non tam adversarium adoriri quam familiarem sociumque colere gratum ducimus officium, idem ille Sallustiani operis doctissimus editor, Kritzius, qui quum superiorum interpretum vel falsas opiniones vel varias rerum ac verborum explicationes recensere pro lege sibi scripta debebat, fieri non potuit, quin aliorum prava refelleret iudicia suamque substitueret sententiam, quin multa in tanta vitiorum farragine emendaret, multa obscuriora intelligentiae suae luce collustraret. Ac nobis quidem, nolumus enim sapientiorum quasi praeoccupatam tenere mentem, gravissimas videlicet amplissimasque partes tam animose et fortiter suscepisse, quam quoad videre licet, summa cum laude peregisse videtur, ita ut nostrum quod nuper in Sallustio impendimus studium huic recenti compluribus nominibus inferius agnoscere nequaquam dedignemur. Verum et ipsi, quem tam magni facimus, humani aliquid incidisse, eumque in nonnullis laboriosissimi operis particulis nimium quid sibi tribuisse, non tam pro certo habemus, id quod esset confidentius dictum, quam aliquot quorum nobis copia facta est exemplis demonstrare conabimur. In quo quidem negotio ut uni Sallustiano dicendi generi adhaereamus eique nos totos applicemus tantum abest, ut quaecunque aliunde petita nostram rem adiuvare queant supplementa minime repudiemus. Quo facto, fidem olim datam, scilicet quae in sermone Latino passim usurpantur particularum diligentius nos aliquando indagaturos esse naturam et notionem, solvisse videbimur.

Quare ut ordinem sequar ab ipso auctore praescriptum, in verbis primum subsistere liceat, Sallust. Cat. I, 1. *Omnes homines qui sese student praestare — — summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant.* Quorum quidem quae sit nativa series ambigunt editores, quae vero inde emanet sententia a vulgari longe

dispar, parum curarunt. Etenim qualem [2]) scribendi, talem interpretandi quoque putamus esse normam, scilicet, ut et *quomodo* et *quae* explicari oporteat, consideremus. At nobis quo diutius verba Sallustii hoc loco usurpata contemplamur, eo certius persuadetur, latere hic aliquid a populari dicendi genere aliquanto recedens. Quod quale sit, pluribus exponere atque ad iudicium virorum doctorum deferre propterea minime dubitamus, quod omnes fere qui nostro scriptori operam suam dicaverint, vel silentio rem praeterierunt, vel singula tantum enunciationis verba excusserunt. Itaque statim ab initio mira nobis videtur vocabuli *studere* vis, certe non ea, qua passim apud reliquos legitur scriptores, vel qua a plerisque sumendum esse creditur. *Studere* enim, haud dubie graeco cognatum *σπεύδω* [3]), non tam corporis est quam animi ingeniique, quamquam interdum ad utrumque referri multa nos edocent exempla. Neque id perperam fieri, inde appa-

---

2) Quinctil. Institt. X, 3, 4.

3) Nam quae *Doederleinius* in libri de *originibus* ac *cognatione* vocabulorum Latini sermonis Particula I. p. 125 sq. ingeniose et subtiliter de stirpe vocis *studii* disputavit, quam, vulgari opinione abiecta, a verbo *tundo* duci posse contendit, huic sententiae quid veri falsive insit decernere, ad sapientiorum iudicium reiiciamus, praesertim quum ipsa de duorum illorum vocabulorum propinquitate disserendi ratio scrupulum nobis iniecerit, qui ad adsentiendum nos faceret tardiores. Etenim ut *tundere* habeatur fons e quo emanaverit *studium*: qui tandem fieri potuit, ut a naturali literarum ac sonorum ordine homines prisci aberrarent atque simplicem literam *t* in compositam eamque sibilantem *st* immutarent? Deinde dubitationem movet, quod *studium*, si a verbo *tundere* originem suam traxisse ponamus, propinquitatis ac necessitudinis primitivae ne levissimam quidem servaverit notam: ipsa enim vocabuli vis quam dicunt concretam, prorsus interiit, neque mansit nisi *abstracta* eaque, nisi omnia fallunt, a stirpe quam longe remota. Homines vero antiquos in lingua excolenda atque amplificanda ipsam naturam habuisse auctorem atque actorem constat, a qua veluti per saltum in aliena praecipites ivisse cogitare nefas ducimus. Neque tamen nobis unquam persuadebitur, *studium* verbi *σπεύδω* tam genuinam esse prolem, ut nulla prorsus ratio habenda sit potestatis, quam exserere putaverim sonos quosdam simplices, ad naturae imitationem effictos, quales sunt *st*, *fr*, *str* aliique. Quorum quidem quae sit innata quasi vis, optime cognoscitur ex vocabulorum notionibus diversis, veluti *studium* et *taedium*. — Ceterum in vocabuli singulari et propria vi definienda a nostris partibus stat Doederlein. l. l.

ret, quod quae mens agitaverit, quaeque efficienda susceperit, quaecunque denique moliatur, ea omnia nonnisi corporis ope atque auxilio patrare queat. Verum in eo multi falli videntur, quod quum haec vox *conatum* maxime denotet animique ad aliquam rem propensionem, quam qualicunque de caussa, sive amore quodam insito, sive consuetudine ac familiaritate, sive beneficiis obstrictus, sive quod frequenter accidit, imitandi aemulandique impetu concitatus ita amplexus est, ut a proposito aegre in aliud quid distringi se patiatur, eodem etiam verbo contineri censeant ipsum qui studium sequitur *effectum* sive quam vocant *actionem*. Quo fit, ut quod proprie sit *cogitantis*, secum reputantis ac volutantis, vel quum omne quod Latini appellarunt studium, antiquitus non tam esset *mentis* et *intelligentiae*, quam *pectoris* et *cordis*, quam *sensuum* et *adfectuum*; quumque sit animi vehementius commoti ideoque assurgentis, passim transferatur ad personam agentem, vires suas exercentem, et quae in occultis praecordiorum recondita servari debebant latebris, palam rebus et factis declarantem. Ac tantum abest, ut ullo uspiam exemplo nostrum de hac vocabuli singulari notione infringatur iudicium, ut vel posterioris aetatis scriptores, longe ab antiquo dicendi genere regressos in nostram rem facere, neminem infitias ire posse credamus. Nam ut immensam exemplorum ubique obviorum copiam intactam relinquam, ipse ille *studiosus*, Plinio, Quinctiliano, aliisque frequentatus, caussam nostram defendere paratus est. Qui quum a plerisque statuatur esse is, qui vel *literis*, vel quae tunc temporis auctoritate praevaleret ars, *eloquentiae* operam det, eum potius, si locorum accuratiorem inter se institueris comparationem, nobiscum habebis, quem bonarum artium amatorem, discendi audiendique cupiditate flagrantem, interioris ac subtilioris cuiusvis generis scientiae avidum, sedulum veri quaesitorem et investigatorem nomines. Adest etiam huius rei peritissimus arbiter Gesner. ad Plin. Ep. II, 5, 5. qui *studiosum* eloquentiae interpretatur *cupidum*; cui accedit, quod Plinius maior *Studiosi* tres libros confecisse memoretur, quibus oratorem ab incunabulis institueret et perficeret: nempe opus illud ne destinatum habeamus ab auctore iis, qui arti dicendi operam iam navarent, sed qui, quum sponte sua et nativo quodam amore ducti, disciplinae suavitate et dulcedine allicerentur, institutione atque itineris veluti comite indigere viderentur. Ac ne id quidem obstat, quod Plinius Ep. IV,

13, 11. amico suo Tacito iniungit, ut ex copia *studiosorum*, quae ad ipsum ex admiratione ingenii sui conveniat, circumspiciat *praeceptores*, quos sollicitare possint. Inde enim nomen duxisse videntur adolescentes, quod omen dabant reliquis hominibus, quo accepto praesagire licebat, quae et quanta olim futura sit eorum dicendi vis, quanta et quam subtilis rerum divinarum et humanarum perspicientia, quam solida quamque alta doctrina et eruditio. Neque id impedit, quod Quinctil. X, 7, 27. praecipit, *studendum* esse semper et ubique. Nam procul a vero esse putamus, si hoc similibusque locis *studendi* notionem aeque longe protendi debere opineris, ac quo nostri saeculi homines nostro sermone vim vocabuli proferre consueverunt. Ubivis enim, si quid recte viderim, *studere* dicuntur, qui non servilibus neque forensibus neque etiam publicis negotiis occupati atque distenti, liberali et ingenuo humanitatis sensu commoti vel ingenio suo indulgent, quod fit meditando, vel egregiorum scriptorum opera legendo, vel clarissimorum magistrorum praecepta audiendo summam ac perfectam doctrinae speciem vel singularis alicuius artis subtiliorem scientiam adsequi enituntur. Inde sibi invicem opponi vel tanquam diversa unum ab altero discerni reperimus *studere* et *piscari* et *venari*. Plin. Ep. II, 8. in. Cfr. Quinctil. X, 7, 27. qui nullum fere diem tam *occupatum* esse adfirmat, ut nihil lucrativae operae ad *scribendum* aut *legendum* aut *dicendum* rapi aliquo momento temporis possit. Adde Plin. Ep. VII, 9. in. IV, 13, 3. — At quaeret quispiam, quid haec ad Sallustium? Firment videlicet atque stabiliant quodammodo, quamquam non adeo via directa, attamen per ambages, quam suscepimus caussam tuendam, quippe quae manifestent, *studere* non omnino esse *elaborare* atque in cuiuscumque modi negotio intentum habere animum ac mentem, sed id appetere, quod a vulgari usu, a trita hominum consuetudine, ab eo, ut brevi complectar, quod a natura omnibus datum est animantibus, altius quasi adsurgat sublimeque feratur. Omne itaque studium horret animus humilis et abiectus; alienum est ab omnium communi et quodcunque sponte obfertur; non est obvium quidquam, sed reconditum; non bruti, sed mente sana praediti; non omnium atque universorum, sed singulorum atque excellentium. [4]) Quae quum ita sint, neque enim rei semet ipsi defendenti

---

4) Testatur ex parte Plinius, omnis elegantiae et humanitatis eximius

quisquam refragabitur, primum Sallustii auctoris qui fuerit sensus, quaeque humani generis existimatio, apparet. Vertit nimirum in contemtum atque despectum, si quod universo generi a natura tributum creditur ornamentum, et quae totius cuiusdam corporis putatur praestantia, singulis nonnullis non tam vindicatur, quam pretio veluti dignum proponitur. Itaque vel quum primum sui factus esset iudicii, durius eum de stirpe humana statuisse verisimile est, vel postea, spe melioris conditionis et decepta et abiecta, in peius mentem suam immutasse. Ista vero quam verbis ac nominibus prodit scriptor cetera perquam eximius indignatio e fonte videtur fluxisse satis aperto: taedio enim eum sentimus impletum suorum temporum suaeque civitatis, [5]) et quum pium a nobis ducatur officium, patriam ab hostium defendere incursionibus, perinde atque a malevolorum incusationibus: Sallustius bonum eo adhibuit otium, ut miseram reipublicae Romanae ruinam depingeret, morum atque ingeniorum corruptelam pravitatemque describeret; ac ne quis veritatis testimonium desideret, foedam et detestabilem Catilinae imaginem, omnibus vitiis inquinatam, delineavit. At quid ambitio valeat, quid pecuniae insatiabilis aviditas, quo rerum indignitatis quoque facinorum foeditatis homines honesti ac veri sensu exuti pessum dentur: en tibi exhibent Iugurthae pessimae artes ac fraudes, quibus ignobile nobilium vulgus et ludibrio habuit et ad infima redegit. Neque enim dubitaverim, quin Marii exemplo ostendere voluerit, rem eo iam devenisse Romanam, ut natura rudis atque agrestis, de plebe homo, priscum illum et infucatum colorem Romanum repraesentans, primum locum inter primos nancisceretur, atque humilis stirpis nota quasi signatus, unus ille idoneus ac dignus exsisteret, qui populi Romani, orbis terrarum domini, nomen ignominia contumeliaque accepta obumbratum virtutis suae lumine denuo collustraret cladesque illatas expiaret. [6]) Omnia vero ita agit, ut animus ira et indigni-

---

doctor, adolescentibus optimarum artium cultoribus totius vitae egregius utique dux comesque, Ep. VII, 13. „Epistola est tam polita, quae nisi a *studente* non potest scribi: aut es tu super omnes beatus, si talia per *desidiam* et *otium* perficis.“

5) Iug. c. 4. extr. me civitatis morum piget taedetque.

6) Iug. c. 114. extr. Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

tate exacerbatus, aegre tantum repressus, anguis veluti sub herba latens, interim acriore impetu elatus prorumpat.

His ita compositis et comparatis aliam sententiam superstruere liceat tanquam fundamento, quam nunc de pronomine, quod legitur, *sese* pronunciaturi sumus. Impugnat cl. Kritzius adnotatione, qua locum Sallustii supra laudatum illustravit copiosa, eam, quam *Frotscherus* de vi pronominis ferri posse censuit legem, quamque nos quoque nuper veram minime haesitantes professi sumus. Nam quum sermonis Latini ratio utrumque admittat, ut vel dicas: qui *student praestare*, vel Accusativo pronominis adiuncto: qui *sese student* praestare, eademque sit aliorum similis notionis verborum conditio, veluti *cupere*, *velle:* Grammatici non potuerunt, quin legem aliquam scriberent, qua unum alterumve dici vel liceat vel debeat. In quo discrimine definiendo ut rite et circumspecte agamus, neque enim in animo est aliorum vel impugnare sententias vel pervulgata magistrorum praecepta decantare, sed quae meditantibus nobis in mentem venerint cum amicis communicare: primum monemus, in quo omnes consentiunt, *Infinitivum* per se spectatum non tam *Verbi* quam *Substantivi* speciem prae se ferre, attamen non perfectam et plenam, sed mancam et nonnisi Nominativi et Accusativi notionem aequiparantem, ita ut vel Subiecti vel Obiecti locum obtineat. Alia, id quod nobis paene indubitatum est, prorsus esse nequit Infinitivi ratio. Neque id tantum adfirmamus, quod reliquorum casuum obliquorum quos vocant, desunt signa aliqua externa, veluti terminationum notae, quibus cognoscantur, sed quia tota Infinitivi imago, ad ipsius naturam vere expressa, eum vel Nominativi vel Accusativi vices sustinere docet: nam quae passim adferuntur tum Genitivi tum Dativi tum Ablativi exempla, quorum infinita Verborum forma compleat usum, eas omnes dictiones s. λέξεις ex isto genere esse, quod dicunt κατὰ σύνεσιν, nemo facile in dubium vocabit. Cfr. Zumptii Grammat. p. 470 sq. edit. VI. Ruddimanni Institutt. II. p. 228 sqq. 7)

---

7) Quoniam ad hunc locum perventum est, nonnulla notatu digniora, quae ad rem facilius expediendam facere existimo, et quae mea potissimum intersunt, in publicum proferre haud alienum esse videtur. Et primum quidem miramur etiamnunc in Ruddimanni libro offendi tam confusos exemplorum ordines, ut locus Virgil. Ecl. X, 32. *Soli cantare periti Arcades* eodem nu-

Sed quo tandem modo factum sit, ut *Subiecti* notio, ubi cum *Infinitivo* coniungitur, *Accusativi* casu exprimenda censeatur, hoc si quaeri-

---

mero habeatur, quo Ciceronis dictum Tusc. I, 41. *Tempus est abire:* deinde, quod Zumptius, qui aeque ac recentissimus Institutionum Ruddim. editor apud omnes bonos in summa laude est atque famae celebritate, locum Sallust. Cat. c. 20 extr. *vos servire magis quam imperare parati estis*, plane congruere dixerit cum Dativo Substantivorum nominum: *servituti*, *imperio*, vel cum Gerundio: *ad serviendum* etc. vid. Grammat. edit. VI. §. 598. p. 471. atque omnino, quod exemplorum variorum molem in tanto ingenii acumine non certis quibusdam regulis praestitutis in duas digerere ipsi placuerit classes, quarum una *poëticae licentiae* habeatur, altera, quamvis a consueto dicendi genere aliquanto abhorrens, nihilominus cum probis orationis pedestris legibus consentanea haud indigna censeatur, quam iusto loco ac tempore aemulemur. Et quum Sallustius non adeo parcus sit in similibus locutionibus usurpandis, veluti Cat. c. 17, 6. *vivere copia erat;* c. 30, 4. *vendere mos erat;* c. 53. extr. *praeterire non fuit consilium;* ac ne Cicero quidem ipse ab hac verborum structura abstineat: interpretes silentio praeterire non potuerunt, quid ipsis inusitati hisce dictionibus inesse videretur. Atque plurimis Graecum morem scriptores Romanos secutos esse persuasum est, utpote qui infinitam Verbi formam loco Gerundii positam esse statuant. Cfr. Bremi ad Nep. Lys. 3. Goerenz ad Cic. Acad. II, 6, 17. Qui quo iure ita censuerint, et num loci Ciceroniani modo laudati ea sit conditio, quae Gerundii supplementum recipiat, quod equidem pro certo adfirmare nolim — quum amplioris operis sit inquirere, quam quod ingressi sumus: uno nos contentos esse decet, quod si effecerimus, nobismet ipsis debita persolvisse putabimus. Doctissimus nimirum Kritzius ad Catil. c. 30, 4. p. 139. dum rationem dictionis *vendere mos est* explicat, Infinitivum nunquam a solo Substantivo pendere ait, sed a Substantivo et Verbo, quae coniuncta vim simplicis verbi habeant: ita *consilium capere* idem esse atque *decernere* etc. eosque omnes, qui hanc structuram a Graecorum usu repetierint, errasse adseverat. Verum vidisse Ramshornium Grammat. Lat. p. 423. At nescio quid acciderit viro humanissimo haec ita disputanti; nam ipse ille quem appellat Ramshornius Graecorum imitationem non modo praeclusit, sed ne *Gerundii* quidem loco Infinitivum, certe apud poëtas, positum esse negavit. Tum prope est, ut in nos iniuste agat, si quidem et nos in numero illorum refert, qui Infinitivi ac Gerundii similitudinem defenderint, quod factum esse a nobis contendit ad Caes. B. G. VII, 26. 71. Verum diserta ibi leguntur verba apposita: haec omnia ac similia κατὰ σύνεσιν esse enunciata. Et quid disparilitatis intercedat Gerundium inter atque Infinitivum pluribus ostendere conati sumus ad Sall. Cat. c. 30, 4. p. 147. Sed tantum abest ut vel nos vel Kritzium veram ac genuinam dictionis potestatem perspexisse arbitremur, ut rectiorem quam olim viam intrasse videamur,

tur, equidem ego id observasse videor, non tam *Subiecti* nomine appellandum esse, quam *Obiecti.* Quod etiamsi a Grammaticis recentioris aetatis satis superque exagitatum sit, ita ut tanquam in confessum et convictum diutius inquirere pigeat: unum tamen urgendum esse existimo atque tenendum, nimirum quae semel casui nominis qualiscunque obtigerit sors, eam illum commutare atque in prorsus contrariam discedere non posse. Obstat mens sana ipsaque rerum natura. Itaque quamvis ex nostrae aliarumque linguarum usu, quod Latinis erat Obiecti loco, quodque si rem accuratius perpenderis, nihil esse potest nisi quod modo diximus Obiectum, *Subiecti* potius formam induisse videatur, eoque nomine apud nos usu receptum sit, id tamen neminem unquam providum et circumspectum commovebit, ut quum in tanta lingua-

---

quum verba *omnia — vendere Nominativum* significare *Subiecti*, vocabulum *mos* loco *Praedicati* s. *Attributi* adhibitum esse, idoneis rationibus commoti profitemur. Quibus gravissimum adfert momentum tum ipsa verborum compositio ac series, tum aliarum dictionum adfinitas, qualis esset: *omnia vendere dedecori erat.* Denique et sententiae gravitati iudiciique asperitati hoc modo aliquantum ponderis addi, quis est qui neget? Sed quae hic nonnisi extremis digitis attingere licet, quum a proposito ne in alia omnia deducamur cavendum sit, ea a pluribus partibus exagitare speramus data iam nobis opportunitate Caesaris de Bello Gall. Commentariorum brevi accuratius edendorum. Unus restat, quem disceptare monemur locus Catil. 29, 3. *Ea potestas* — magistratui *maxuma* permittitur, *exercitum parare*, *bellum gerere* etc. Ibi enim quum in diversas abiissent partes viri docti, ac nonnulli *Infinitivum* pro *Gerundio* positum esse opinarentur, Kritzius inde caussam duxit, cur aliam rei expediundae viam monstraret; scilicet Infinitivos additos censet ad illustrandam notionem vocis *maxuma*, ita ut *nempe* vel similis particula suppleri possit. At nobis haec aliter esse videntur: etenim non *maxuma* sed *ea* explicatur et quasi per partes enumeratur potestas, et *Infinitivos* Appositionis titulo appositos censeas; quemadmodum infra c. 51, 9. *rapi virgines*, *pueros* etc. ibid. §. 20. *in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse* etc. Et quod vim pronominis attinet, vocem *ea* loco laudato eodem numero habemus parique dignitate, quae a Graecis passim adseritur pronomini αὕτη, velut Platon. Apolog. Socrat. c. I. extr. δικαστοῦ μὲν αὕτη ἡ ἀρετή, ῥήτορος δὲ τἀληθῆ λέγειν. Cfr. c. XI. in. atque Engelhardtus ad Lachet. §. 1. Ipsius vero Epexegesis nonnulla exempla attulit Stallbaum. ad Euthyph. p. 70. et p. 38. Ceterum ex tota quam iam finire tempus est disputatione apparet, Hellenolexias quae vulgo fertur terminos nondum tam fixos esse et statos, quos ultra citraque nequeat consistere rectum.

rum disparilitate unam eandemque ubivis agnoscere debeamus rationis sanae firmam ac certam legem, eam usquam labefactatam corruisse putet. Duae enim praecipuae sunt ac propriae, quibus haec locutio a reliquis discernatur notis, altera in *caussa physica* s. naturali, a qua originem duxit, altera in *conditione logica*, qua singularis eius nititur usus, conspicua. Quod *originem physicam*, quam vocare libet, attinet, propterea hoc nomine appellare non dubitavimus, quia vel quotidiano usu atque experientia eo adducimur, ut omnium omnino locutionum nullam esse censeamus neque antiquiorem, utpote ad quam ipsa necessitas homines compulerit, neque naturae rerum convenientiorem, quum quae sensibus percipiamus visus atque auditus, non tam sint *personarum* species, quam *actionum* et *motionum* et *adfectionum* variae formae. Quando itaque *ventis agitatur ingens pinus*, quum *vela dant naves pelagoque volant*, haec et similia quoties in sensus nostros incurrunt, non *res* est aut *persona*, quae animum in se intendat ac mentem, sensuumque incitet vires ad spectandum vel percipiendum: sed *actio* est et *commotio*, sed *status* est et *conditio*, in quam qualemcunque rem vel personam casu deductam animadvertimus. Prima igitur contemplationis pars ad *actionem*, altera ad id, quod adficitur quocunque modo, pertinet. Verum quum *unum* tantum sit *Subiectum*, id quod *sentit* vel *percipit*, *duo* quodammodo videre licet *Obiecta*, alterum quod menti humanae propius est *actionis* et *conditionis*, alterum quod secundo loco ponendum est, *rei* vel *personae*. Attamen ne quis haec ita dicta sumat precor, quasi eadem via idemque ordo verbis quoque praescribatur, a quo recedere nefas sit, ita ut *actio* semper praecedat *personam*, *conditio rem*, veluti: Catilina ubi *eos* quos paullo ante memoravi, *convenisse videt*; quum aptior videatur haecce verborum consecutio magisque cum nostris praeceptis congruens: *ubi convenisse videt eos* etc. Dandum enim id est atque concedendum scriptorum arbitrio, ut quam ipsi potiorem haberent notionem, eam praemitterent, praesertim quum quae priscis hominibus atque omnino rudibus literarumque cultura nondum perpolitis sensuum potissimum ope ac beneficio percipiebantur, ea a posteriorum aetatum mortalibus transferrentur ad mentis considerationem et ratiocinationem. Quae vero sit *Accusativi* cum *Infinitivo* conserti *conditio logica*, eam sic intelligimus, ut semper ei inhaerere arbitremur *subiectivam* quam dicunt artis Logicae doctores,

speciem. Etenim quominus sit absolute s. simpliciter dictum, quidquid huiusmodi enunciatione continetur, ipsum illud impedit, quod animi sensuumque perceptio non finitis Verbi significatur temporibus, sed Infinitivo modo, quodque refertur ad personam aliquam, cui quid apparuerit vel obviam factum fuerit, vel compertum sit atque perspectum. Quaecunque igitur sub forma seu specie Accusativi cum Infinitivo coniuncti enunciatur vel in medium quasi profertur sententia, ea non in universum dicta haberi debet, neque quum sit *Obiectum* ex ratione Grammaticorum, *obiectivam* obtinet vim ac notionem, sed tantummodo *subiectivam.* Unde etiam exortum est illud obliquae orationis genus, ubi quae ex mente ac sensu alterius cuiusdam scriptor profert, eandem Accusativi induunt speciem et Infinitivi: nempe res fingitur gesta quidem, sed pro singulari et propria certi cuiusdam sentiendi et percipiendi ratione. Neque adeo diversa est conditio *Coniunctivi* modi, quo scimus omnes enunciationes exprimi debere, vel appositas, vel orationi indirectae insertas, vel explicantes, certe qui usus optimis scriptoribus fere est sollemnis, a quo passim caussis magis arbitrariis dubiisque quam idoneis et luculentis ab auctoribus recessum esse, non est quod moneamus.

Quibus quidem omnibus, quae non tam subtiliter et copiose disputata habeantur precamur, neque pro rerum ambitu ad finem perducta et absoluta, quam leviter significata, id unum ut manifestum fiat contendimus, quantum et quid intercedat discriminis Latinum sermonem inter ac nostrum in rebus, quae oculis vel auribus incursant, oratione exprimendis. Recepta enim et usu quasi sancita Latino sermoni lex est, ut omnes, quas quis ullo modo animadverterit vel qualicunque sensu perceperit actiones et motus et circumcirca commutationes, status rerum atque conditiones, quorum scilicet omnium notiones *Verbis* proprie dictis neque Nominibus enunciantur, ita orando denotet atque describat, ut non *mentis* inde *iudicium*, sed simplex *sensuum perceptio* cognoscatur. Quo simul edocemur, idem illud, quod primitus videntis erat vel audientis, postea factum esse mente sua considerantis animoque reputantis; particula enim, quam nostrates in tali re frequentant, *dass*, quum plane congruat cum graeca ὅτι, satis aperte testatur, visum aliquod vel auditum vel omnino sentiendi quae animalibus a natura data est facultate comprehensum, non tam pro ratione ac

modo, quo eius compotes facti simus, significari et verbis describi, quam pro mentis humanae et colligendi et diiudicandi et disponendi singulari et propria virtute. Quae quum ita sint, illud quoque adserere nullus dubito, ubique locorum tum in nostro tum in Graecorum sermone diligenter distinguendum esse inter usum particulae ὅτι, quae sequatur verba dicendi, quaeque prorsus adfinis est et cognata nostrae *dass*, atque Accusativum cum Infinitivo connexum; quam verborum consecutionem Graeci quoque non repudiant, ubi praemiserint Verba dicendi et significandi: quin imo non respuere eos videbis, neque tamen id temere fieri credas, orationis quandam varietatem, dum particulam ὅτι vel ὡς structuram Accusativi cum Infinitivo vel excipere vel proxime antecedere iubeant [8]). Et quum viri cuiusdam doctrina in-

---

8) Cfr. cl. Matthiae Grammat. gr. ampl. §. 539. Not. 1. et Stallbaum ad Phileb. p. 157. extr. Verum, quod mirum videtur atque a receptis sermonis legibus aliquanto abhorrens, quod ὅτι passim ita positum invenitur, ut praecedat Accusativum cum Inf., quod genus dicendi Grammatici ad Anacoluthorum referunt turbam, ne id quidem quum facile erui possit, unde originem traxerit, sententiam a nobis prolatam refellit, sed confirmat. Nam illa, quam particulae addiximus, non infringitur potestas; scite enim indicat, hominem aliquid ad mentis iudicium retulisse, atque ea, quae vel audiendo compererit vel sentiendo expertus sit, cogitando et ratiocinando complexum esse. Facile vero casu qualicunque fortuito accidit, ut dum loquimur, vel haereamus vel de via instituta declinemus. Certe qui dum haec disserimus, in manibus sunt loci Xenophontis, rem quam agimus testimoniis comprobare videntur certissimis. Cyrop. I, 6, 18. ubi cfr. Poppo. II, 4, 15. V, 4, 1. VII, 4, 7. Cui dicendi generi adnumerare licebit speciem, passim apud scriptores obviam: δῆλον ὅτι; nam et haec saepe est orationem exordientis neque vero absolventis, veluti Plat. Apol. Socr. c. 14. in. Certe enunciatio ibi aliisque in locis non plena legitur et perfecta, sed ex superioribus compleatur necesse est. Ceterum exemplorum ubique fere obviorum tanta est copia, ut unde potissimum eligamus, suspensi haereamus, scilicet ut quantum quidve intersit inter Infinitivum Verbi et particulae ὅτι singularem significatum, demonstretur. Audias Platonem Apol. Socr. c. 13. ἔγνωκας ὅτι· ἔλεγον ὅτι· c. 14. λέγεις ὅτι. Contra eod. capite, quum antecesserit, ἐγὼ γὰρ οὐ δύναμαι μαθεῖν, haecce legitur locutio: *πότερον λέγεις, διδάσκειν με νομίζειν εἶναι τινὰς θεούς*. Denique eadem mihi videtur ratio, quod saepe in oratione recta particula ὅτι statim a principio enunciationis posita reperitur, ita ut fere supervacanea existimetur: nempe attentiorem quasi reddit animum vel auditoris vel lectoris atque simul significat, responsum vel decretum vel edictum vel

signis, cuius in perscrutandis et indagandis linguarum originibus eminet ingenii subtilitas studiorumque adsiduitas, de particula *dass* eo redeat nuperrimum iudicium, ut eam eodem ponat loco ac numero, quo pronomen generis neutrius *das*, quippe quorum vocabulorum utrumque *Articuli* vicem in nostro sermone sustineat, enunciationis alterum, alterum Nominum: facile nobiscum consentient harum rerum arbitri, omnes enunciationes, quas vel Graecorum particula *ὅτι*, vel nostro *dass* cum verbo aliquo antecedenti ita connectimus, ut una ab altera pendeat sententia, vel uti brevius rem definiamus, quando Subiecti alicuius intuentis vel observantis vel sentientis cum Obiecto cuiuscunque generis indicatur coniunctio, ita a nobis proferri et disputari, ut simul mentis diiudicantis significetur ratiocinatio atque rerum diversarum in unam veluti imaginem seu speciem complexio[9]).

Quod si quis quaerat caussam, cur Latinis non eundem placuerit cursum legere iisdemque insistere vestigiis, et quae vel sensibus accipiantur externis, vel in animi penetralibus agitentnr interioribus, ubi quoque sentiendi, videndi, cognoscendi datur locus, ad mentis et rationis tanquam tribunal deferre eiusque arbitrio subiicere noluerint: quid est quod tunc investigando reperiet? Noluerunt nempe a natura recedere, neque planam et apertam, qua sensuum beneficio ad rerum cognitionem pervenimus, viam mentis veluti praeiudicio obsepire atque intercludere, ita ut recte omnia apud eos et naturali quodam ordine procedere palam profiteri debeas. Nam qui est *Coniunctionis* quam perhibent, *quod* usus, eius vim duplicem potissimum esse, vel *explicandi* vel *caussalem*, tum exemplis edocti statuimus, tum si vocabuli indolem atque originem spectamus, in dubium vocare nefas putamus: modo ne quis offendat in *relativa*, quae in omnium ore est, pronominis notione; etenim ea ipsa continetur omnis omnino quam *particulae*

---

iudicium qualecunque, quod enunciatur, secundum leges mentis ratiocinantis in totum veluti corpus redactum esse, neque vero *rem quae agatur*, et quae per singulas partes oculis auribusve obducatur, enarrari.

9) *Die Conjunktion* ***dass*** *ist streng genommen, der* ***Artikel*** *des* ***Satzes****. Dieser Artikel ist seinem Ursprunge und Wesen nach ein Pronomen*, ὅτι, que, che, quod, *dass, that etc.; denn der* ***Satz*** *kann wie jedes* ***Wort*** *in alle nur mögliche Verhältnisse treten. S. Verhandl. des Frankf. Gelehrtenvereins.* 3. *St.*

attribuimus potestatis principium ac fons. Contra *demonstrativam* quoque ei subesse vim, quam passim pronomini vindicatam legimus [10]), prorsus negare cogimur, quum de qua re iudicium feramus, quodque compertum vel acceptum teneamus, id menti nostrae animoque propositum esse debeat, ita ut quo referatur sententia ante oculos quasi collocatum habeamus. At in oratione quidem ordine inverso iudicium interim praemittere licet, caussam et argumentum et rem, qua nititur sententia, postponere: quae tamen ratio quum magis verborum sit quam mentis concipientis ac conceptae, semper manet atque in perpetuum manebit pristina ipsaque vetustate consecrata Pronominis vis et significatio, *relativam* dico. Unde sponte id consequimur quo tendimus, vocabulum *quod*, ubi *Coniunctionis* partes susceperit, propter relativam notionem, qua nusquam exui nec potest, nec debet, tum iudicantis esse et discernentis, tum secum reputantis ac perpendentis, quia duae res inter se diversae ita copulantur, ut una alteram esse ponat. Neque enim quidquam referri potest ad aliud quid inane prorsus, quod non exstet, quodque sit neque cogitatum unquam neque factum.

Iam vero his quasi fundamentis positis, libelli nostri superstruamus reliquam molem, et quid in locum Sallustianum, cui potissimum explicando operam nostram addiximus, ex nostra disputatione hactenus instituta derivari possit emolumenti, videamus. Itaque primum investigemus, num verbi *studere* ea sit ratio, quae Accusativi cum Infinitivo consecutionem non requirat atque expostulet, sed admittat. At quae verborum *voluntativorum* (Graecis προαιρετικῶν) sit conditio, de eo Priscianum consultaturus adeat, qui nobili illi longi Grammaticorum agminis ductori prae ceteris fidem habet: nobis vero nunc id maxime officium impositum putamus, ut duplicis verborum structurae rationem reddamus caussamque, si qua recondita lateat, eruamus, et quanto inter se differant, accuratius definiamus. Vulgo a Grammaticis haec praecipiuntur, vel a doctoribus traduntur, ex quibus honoris caussā

10) Id factum esse meminimus a censore quodam, ceteroquin subtili disputandi ratione ac qua inprimis excellere videbatur, facili rerum et verborum distinctione insigni, in Ephemerid. literar. Ienens. 1823. No. 209. Eorum vero, quae de natura particulae *quod* pluribus disseruit, summa eo redit, ut eam et *describendo* et *circumscribendo* operam praestare adserat.

quum plures habeamus, quos nominare deceat, Zumptium hic nominatim appellare liceat, utpote quem in praesenti plurimis ad manum esse noverim: ad eum igitur linguarum antiquarum studiosos ablegamus. Cfr. §. 609. Summam hanc teneas rei: Verba *cupiendi*, et quae omnino voluntatem studiumque significant cum Infinitivo aliorum Verborum ita connectuntur, ut nomen Subiecti, quod Logici vocant, vel Nominativi vel Accusativi exhibeatur casu; hancque varietatem inde potissimum pendere, utrum novum aliquod inseratur Subiectum, an in eodem maneat atque consistat oratio: nempe Subiectum, quod hic barbaro appellamus nomine, utrum sit revera diversum, an idem, alio modo nomine repetitum, nihil prorsus interest. Verum enim vero gravem hic latere errorem resque diversi prorsus generis in unam classem natura ipsa nequidquam repugnante coactas atque in unum corpus veluti coagmentatas esse, pro viribus iam demonstrare periculum facturi sumus.[11]) Discernenda nimirum nobis videtur primum notio verborum voluntativorum, quorum *geminam* esse *sortem* tum ex usu, tum ex rationis humanae legibus apparet: modo enim huius generis verbis notio inhaeret *Verborum auxiliarium*, quorum conditio ea est, ut *Modis* ac *Temporibus* circumscribendis inserviatur, natura vero talis, ut per se quidem, simpliciter ubi adhibentur, significationem non habeant plenam atque perfectam, sed mancam et ex parte claudam. Atqui sermoni Latino quum *unum* tantum huiusmodi verbum contigerit, quod sollemni auxiliaris nomine ornetur, fieri non potuit, quin alia nonnulla in subsidium arcesserentur, quippe quum non facile reperiatur lingua, quae tali veluti supplemento non indigeat. Sed quoniam *quatuor* praecipuae sunt conditiones, quibus explendis sufficere debeant Verba ita dicta

---

11) Ac ne quis fastu nos habeat inflatos, quem horremus, dum ingenue profitemur, nos quas sponte nobis sumsimus partes, ita esse acturos, ut integrum nobis stet iudicium, ne dum anxie aliorum sequamur vestigia, ratio non constet. Etenim difficile videtur in multis virorum doctorum libris exploratu, quid accepti quidve expensi auctori referas. Huc accedit, quod aliquot libellorum, in quibus eadem res singulatim et consulto tractatur, quos paucis recensuit cl. Stallbaum. ad Ruddimanni Institutt. II. p. 231 sq. vel copia non facta est, vel ipsae temporis angustiae impedierunt, quominus compararem. Quare si quid veri viderim, meum esto: sin peccatum fuerit in qualemcumque partem, ne culpam vulgasse videar.

auxiliaria, utpote quae vel aliquid *esse* vel *haberi* vel *fieri* vel *futurum esse* denotent; quumque animi maxime in *res futuras* intentionem variis modis exprimere iuvet: quid est quod miremur, Verbis *velle*, *cupere* ac similibus hasce partes a sermone Latino demandatas esse. Nam enunciationem, qualis haec est: *eruditus fieri volo*, quis est qui neget adfinem esse et propinquam, imo proximam alteri: *eruditus fiam?* Et quemadmodum scimus Casuum, qui vulgo suppetit numerum inferiorem esse conditionum copiae, quibus satisfieri debet, ideoque a viris doctis non solum subsidiarios nonnullos casus vulgaribus et usitatis adnumerari, veluti *locativum*, *temporalem*, *modalem* etc., sed ipsum usum ac necessitatem eo homines perpulisse, ut *praepositionum* ope varias conditionum formas describerent: ita eandem rationem *Verba auxiliaria* intercedere atque *Modorum* et *Temporum* species, quibus complendis destinata sint, pro certo ponimus. Quare eodem quoque iure ac dignitate habemus verba, quibus vel *conatus* vel *consuetudo* vel *potentia* vel *necessitas* describitur, quum ea omnia eo pertineant idque efficiant, ut *status* quidam, cuius notio simplici Verborum aliquo Modo accuratius vel gravius depingi nequeat, clarius ac luculentius oratione designetur. Itaque ex iis, quae adhuc monuimus, hanc legem liceat promulgare, certa cum spe fore, ut virorum doctorum auctoritate atque adsensu comprobetur: Omnia verba, sive praesentem denotent statum, sive rem aliquam futuram spectent, id quod maxime fit, ubi cupiditas vel studium vel animi voluntas subest, quorum natura fert, ut cum Infinitivo alius cuiusdam verbi ita coniungantur, ut in unam quasi notionem *Modi subsidiarii* coalescant, *Verborum auxiliarium* ordini addicuntor. Attamen non omnis omnino huius legis tollitur vel quae in ea fieri possit, negatur exceptio. Nam uti verbi *esse* alia notio est *logica* s. copulandi, alia *physica* s. concreta, alia *metaphysica* s. substantiva, qua rem vel vere *exstare* ac *fieri*, vel *fingi* et *mente tantum concipi* admonemur: ita simile quid verbis supra commemoratis incidere ipsa experientia nos edocet. Iuvat enim interdum huiusmodi vocabuli notionem ita a reliquis seiungere ac separare, ut nullo addito neque indicato contentionis fine ac termino, nativa verbi vis exagitetur: qua si quis vel dicendo vel scribendo insistit, totius orationis structura commutetur necesse est. Id autem nonnisi in iis fieri potest verbis, quorum gemina quasi est natura, altera ex qua *actionem* aliquam vel *conditionem*, altera qua *personam* vel

rem ipsis propositam petere videntur. Ita, ut exemplis rem illustremus, *velle* et *nolle* et *malle* atque adfinia verba Infinitivum alterius cuiusdam verbi sic amplectuntur et quodammodo sibi adstringunt, ut ad normam verborum ἐθέλειν, μέλλειν aliorumque, Gallicorum: aller, venir, faillir etc. *Adverbiorum* potius locum explere videantur, quam verborum simpliciter usurpandorum. De eo saltem stat sententia, etiamsi Infinitivo adiunctum legatur *Verbum finitum*, notionem tamen *Infinitivi Modi* principatum obtinere, verbi voluntativi vero dignitatem illi esse obnoxiam et subiectam. Nemo enim in illo: *doctus videri cupio*, tam de studio quodam acriore cogitat, quod verbis declarare nunc intersit, quam id agitat, ut doctrinae speciem prae se ferat: atque hoc ex vero iudicatum esse, etiam locus Sallustianus testatur, ubi (Catil. c. 54. extr. *esse quam videri bonus malebat*) ipso singulorum vocabulorum situ et ordine, utra notio gravior existimanda sit, in oculos perinde atque in aures incidit. Quodsi igitur haec nostra valet ratio, et quae vulgo adhuc habita est *verborum coniunctio*, ad altiorem etiam gradum evehere licet, quo fit duarum notionum veluti *concretio:* [12]) alterum quod efficere volumus, sua sponte in mentem animumque incurrit. Etenim cui rebus ita confectis, novum ac mirum videatur, quod vis et potentia, quemadmodum in rebus publicis, ita etiam in sermone atque oratione superet eorum, penes quos summa honoris et loci gravitas est atque auctoritas? At quae in civitatibus hominum, ea in oratione est verborum ac notionum virtus quasi praerogativa. Quare, quum verbi *auxiliaris* vel *subsidiarii* vel *relativi*, si nominis auctor placeo, ea sit ratio, ut cum Infinitivo apposito in unam commisceatur notionem, ipsum quidem illud habendum est veluti pro emortuo, ita ut penes *Infinitivum*, quippe qui personam principem induerit, conditionis ac legis dictandae potestas sit, quam vel Attributa vel Obiecta sequantur necesse est. Hinc nobis persuasum est, Nominativum Attributi, qui additur Infinitivis, non a Verbis istis voluntativis postulari, sed necessario requiri ab ipsa

---

12) Quid enim obstat, quominus magnam agnoscamus similitudinem structurae illius notissimae ac creberrimae, qua *Nomen adiectivum* cum Genitivo consertum Obiecti in unam notionem concrevisse sentimus, veluti *belli peritus* etc. cum ea quam hic agimus duorum *Verborum* arctissima coniunctione?

verborum natura et indole, quae Infinitivo modo in oratione inducuntur. Nam, cogites quaeso ac nobiscum consideres, quid aliud est: *dives fieri studeo*, quam: *utinam dives fiam:* una certe sententia alteram vel complet, vel ponit. Quibus omnibus id assecuti esse videmur, ut aequalis et prorsus par appareat ratio Verbi voluntativi Infinitivo alterius cuiusdam Verbi adnexi, sequenti Nominativo Attributi, ei conditioni, qualis est Verbi substantivi simpliciter positi et cum Nominativo *Praedicati*, ita dicti, coniuncti: naturalis enim est illa atque perspicua Subiecti et Praedicati copulatio, quae fit, ubi personae vel rei, sive mente tantummodo fingatur, sive re vera exstet, aliquid fortuiti inesse vel inhaerere iudicatur. Talis autem iudicii forma duplex est, vel *absoluta* et *abstracta*, quando simpliciter aliquid esse ponitur, nulla ratione habita neque *status*, quo sim, neque *modi*, quo ad hoc illudve iudicium ferendum commotus fuerim, neque variae fortunae, quam quid subire possit. At vero altera iudicii species ea est, ubi quantumvis videatur apodictica et categorica, tamen Praedicatum sive Attributum rei ipsi et personae non declaratur necessario et vere inhaerens et insitum, sed *accidens* et *extra nos collocatum*. Quodsi iam quaeritur, quae et integra et perfecta simplicissimae enunciationis sit forma: ecce adest Nominativus casus, qui eam unice repraesentet: sin vero conditionem aliquam externam eiusque varias commutationes describere velis, ita ut *Attributi* natura evadat relativa et quasi concreta, Accusativum casum adhibere te oportet. Itaque, quid sit: *cupio me esse clementem*, quidque: *cupio esse clemens*, facile expediri poterit. Illo nimirum significatur, Attributum quidem mihi concedi atque inesse me velle, verumtamen ita, ut id nondum in mea potestate esse, ut divelli dirimique nequeat, cogitetur, sed ut *penes alios hac de re iudicium esse*, sentiam. [13])

Est enim propria haec *Accusativi cum Infinitivo* vis, ut *rem* denotet *sensibus subiectam ab iisque perceptam*, quae igitur extra me vel esse vel accidisse vel fieri posse fingitur, quae vero ut libera sit et integra tantum abest, ut nonnisi ab alia *pendens* cogitari possit; caussa vero vel fons, unde effluit, ipsius est hominis, sive sensum ap-

---

13) Comparet, quem disputationi nostrae benevolas aures adhuc praebuisse non piget, cum hisce praeceptis legem a Ramshornio hac de re praescriptam p. 428. Not. 2.

pelles, sive mentem et intelligentiam. Eodem itaque numero et loco habenda sunt haecce: *Gratum se videri studet;* quod idem valet, ac si dixeris: *ab aliis gratus haberi vult.* Atque huius significationis ratio quo tandem nititur fundamento? unde emanavit? quam originem duxit? Eadem illa Verborum voluntativorum altera notio, qua per se spectata et simpliciter usurpata integrum ac plenum exhibent sensum, huius conditionis principium est et fons. Neque enim tunc ad inferiorem ordinem *Verborum auxiliarium* reiicienda sunt, sed ad superiorem verborum, quae nomine *absolutorum* insignire liceat, traducenda. Itaque quum *velle* sit animo aliquid appetere, id fieri potest vel ita, ut animi quae significatur intentio vel proclivitas hominem ipsum spectet, idque contendatur, cuius ipse consilii auctor compos fieri vel cogitari potest. At contra ea quoque competuntur, quae etiamsi ad nos pertineant, et quae adsequi quum plurimum nostra intersit, tamen nonnisi ab aliis nobis tribuuntur: sita nempe sunt in hominum opinione atque existimatione. Unde iam aliud quid consequitur, quod sua sponte rem accuratius intuenti manifestum fieri speramus: scilicet Nominativo casu simplex Attributum enunciatur, Accusativo Verbo substantivo vel cognato alicui adiuncto, *iudicium* vel *sententiam* ferre in animo est. Atqui omnis sententia quum pluribus contineatur notionibus simplicibus, certe tribus istis, quae vel in tironum sunt ore, *Subiecti*, *Praedicati* et *Copulae*, iam ingens conspicari licet quod esse contendimus, discriminis intervallum inter duas quas disputamus dictionum species, quarum altera, quae est Nominativi, unam tantummodo efficit enunciationem sive sententiam, altera duas complectitur conditiones, Subiecti unam, alteram Obiecti. Atque a vero nos non adeo aberrare, dum ita distinguimus, eo quoque confirmamur, quod argumentis superioribus iamiam adstruere liceat; structuram dicimus verborum voluntatem ac studium significantium, quam variare et permutare licitum esse nemo non scit. Nam ubi eventum quem exspectamus, vel finem ac consilium, quo tendimus, verbis exprimere tentamus, tunc particula *ut* adhibeatur, lege sancitum est. Sed quum huius particulae usus ad solum effectum spectet, — atqui omne id quod efficitur, a caussa aliqua pendet, ideoque inter caussam atque effectum tanquam loci et temporis spatium interpositum est, quo fit, ut quaecunque efficiantur vel effici debeant, speciem habeant *incerti* ac *dubii* — vocula

illa eorum magis verborum naturae convenit, quae non tam voluntatem in praesenti exsequendam, quam votum atque exspectationem et conatum, in res futuras intentum, significant, qualia sunt *optare*, *studere*, *tentare*, similia[14]).

Sed ex hac verborum conditione structuraeque ratione id iam colligere cupimus, quod nostram caussam ex parte adiuvet, scilicet observare licuit, *velle* atque huic cognata Verba simpliciter s. absolute usurpari, neque modo mera Praedicata s. Attributa, uno vocabulo expressa ac descripta, verum etiam totas enunciationes Obiecti loco adsciscere atque secum connectere. In quo ne obliviscamur, quodcunque petimus, quodque attrahere ad nos promti sumus et parati, prius nobis propositum fuisse debere incitamenti instar vel irritamenti, quod adfectum studiumque commoveat; unde patet, *voluntatem* non antecedere, sed subsequi id quod a nobis appetatur. Nunquam vero mens humana aliquid adfectabit, nisi iudicium praecesserit, quo rem turpem aut honestam appetendam aut repudiandam censeamus: atqui iudicium ferri nequit, nisi de re vel persona, quae quid egerit effeceritve, vel quae vitiis virtutibusque excelluerit nostrumque in se adverterit animum. Ergo qui *clementem se esse cupit*, non solum aliorum exemplis eo adducitur atque instigatur, sed honesti quoque aliquid sectari arbitratur. Quibus omnibus aperte declaratur, enunciationem, quam *Nominativi* cognominare non dubitamus, simplicem esse et absolutam, Subiectum cum Praedicato colligantem, eamque effingimus constituimusque, nulla ratione habita iudicii antea habiti neque comparatione aliqua nostrae sortis cum aliorum facta fortuna: contra enunciationem qualemcunque *Accusativi* necessario ponere mentis aliquam perceptionem animique adfectionem, qua tum sensus percellebantur, tum cupiditas studiumque incendebantur. Iam vero, si res ita appetitur, ut eventus cogitetur longinquus et dubius, id quod esse solet in exspectando atque sperando, tunc ratio postulat, ut particulam istam, quam su-

---

14) Quae si concedantur, fortasse excusari poterit verbi *conari* structura, qua usus est Muretus, Oratt. et Epist. Vol. I. p. 266. edit. Kirchhof. Leguntur ibi verba: *conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram.* Fuerunt enim, qui in hac verborum consecutione offenderent.

periore loco commemoravimus, adhibeamus finalem *ut* [15]); at ubi proxime quid cogitatur situm, quod fieri volumus, ibi Accusativum cum Infinitivo usurpare ipsa rerum conditio suadet, si quidem intima Subiecti agentis cum Obiecto coniunctio alio Casu describi, vel Subiecti in Obiectum efficientia gravius designari nequit [16]). Et tam procul sum, ut me operae aliquantum pretii fecisse desperem, his rebus accuratius perlustratis, ut aliquam gratiam inire videar, quum iam ad eundem illum locum redeundum sit, a quo totum exordiri libellum placuit, si quae vera auctoris sententia fuerit, explorare tentamus. In quo negotio ne diutius moremur, primum recordemur necesse est, quae supra a nobis exhibita est verbi *studere* definitio. Nimirum quum studium sit vel rei praesentis, vel futurae, duplex admitti potest structura verborum; maxime frequentata est ea, qua id cui studeamus, quum sit remoti quid atque extra nos positi, particula *ut*, sequenti Coniunctivo indicatur; vel si non *actio* describitur, quam fieri cupiamus, sed *res* et *persona*, Obiecti nomen *Dativo* casu adiungitur; nam quae sit conditionis attributae ac particulae *ut*, vel effectum, cui aequiparandus est eventus, vel consilium notantis arctissima necessitudo, nemo est quem

---

15) Liceat hoc loco, quum non prorsus alienum esse videatur a proposito, commonefacere lectores tripartitae enunciationum divisionis, quam primus, nisi fallor, invenit, stabilivit ac firmavit cl. *Schmitthenner* in libro nuper in publicum edito: *Ursprachlehre* etc. Frankf. a. M. 1828. p. 271. Et postquam in libro laudato tria enunciationum genera constitui debere ostendit, fundamento dividendi petito ex ratione et notione Substantivorum, Adiectivorum et Adverbiorum, primum illud genus rursus in tres distribuit classes, quarum unam Subiecto, alteram tertiamque Obiecto adsignavit, utpote quod vel propius sit vel remotius. Postremo autem loco collocatam classem *Dativi* esse docet, secundo *Accusativi;* particulam vero *ut* sua ipsius natura cognatam esse *Dativo* enunciationibusque huic adfinibus, ingeniose disserit. Cfr. p. 277.

16) Atque ea ipsa de caussa prohibeor, quominus adsentiar iis, qui ex vulgari ratione *Accusativum* cum Infinitivo, ubi est *exclamantis*, explicandum censeant supplementi loco addita enunciatione: *credibile est*; veluti in Virgil. Aen. I, 37. *Mene incepto desistere victam?* cfr. v. 97. Ramsh. p. 436. Imo eandem agnosci posse credo Accusativi conditionem, quae ubique obtinet: indicat id quod sensu percipere licet, quoque ullo modo adfectum se sentit homo. Haud absimilis est illa dictio nostratium locutioni: *So etwas erlebt zu haben!* Fingitur itaque homo aliquid expertus esse ac comperisse, cui utpote rei gestae utrum fidem habere velit nec ne, prorsus non locus datur.

non innumera edocuerint exempla[17]. Verum ubi *studere* absolute ponitur, tunc non tam sginificat *eniti*, quam *magni facere*, indicatque simul, rem nobis *cordi esse* et *curae*, statumque depingit *neutrum* magis quem vocare consuevimus, quam agentis atque elaborantis. Ceterum quo rarior hic verbi usus est, eo pluris interest ex toto orationis contextu sententiarumque serie alia ducere argumenta, quibus supra dicta confirmentur. Itaque, quanquam in universum enunciata primo adspectu habeas verba: Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus; sententia nihilominus, si rem spectas, non verba, ex illis est, quas Logicae artis doctores *particularium* nomine signant. Namque de singulari scriptor cogitavit hominum specie, non adeo frequenti, qui quum observassent, quam pulchrum sit quamque honestum ceteris animalibus praestare, id sibi quoque tanquam summum proposuerunt finem, quem consequerentur, ut inter reliquos virtute excellerent. Noluerunt igitur confundi et congregari cum reliqua turba ignobilique vulgo, cuius est voluptati ac libidini servire vitamque silentio transire. Ipsum etiam Nomen adiectivum *omnis* ab aliis eiusdem paene potestatis vocabulis eo differt, quod notionem continet *logicam* sive etiam, ne a vulgari appellatione, quamquam rem non accurate definiat, recedamus, *absolutam*: contra et *universus* et *cunctus* et *totus* vel aliquam respiciunt computationem vel continuationem vel compositionem, quae sensibus obnoxia est, suntque ex genere notionum et vocabulorum, quae apud Grammaticos ad *concretorum* numerum adscribuntur. Quo etiam apertum fit, voce *omnis* semper designari aliquid *cogitati*, neque vero id, quod re vera gestum est vel accidit, vel omnino id quod est[18].

---

17) Quare etiam in eo mecum consentient disciplinae Grammaticae amatores, optimum factum fore, si *Coniunctionum* nonnullarum, quae vulgo recensentur, ratio et usus firmo quodam ac certo ordine referretur ad notiones proprias illas, quibus significandis *Casus Nominum* destinati sunt; veluti quum particulam *quod*, Coniunctionis locum ubi tenet, vel cum *Nominativi*, vel *Accusativi*, vel *Ablativi*, qui idem etiam est Modalis et Caussalis, vi et potestate congruere demonstramus.

18) Huius rei testimonia adferre vix pretii esse videretur, nisi tironum aliquo, nostrae disciplinae addictorum respectu admoneremur. Caes. B. G. VI, 11. extr. perpaucis ex hostium numero desideratis, quin *cuncti* caperentur. II, 29. in. *cunctis* oppidis et castellis desertis; scil. quae erant. Contra: Sall.

Quibus ita compositis ultra iam progrediendi atque exponendi copia fit, cur pronomen *sese* inserere iustum et aequum censuerit auctor: scilicet eo carere non poterat oratio.

Vidimus enim supra, quae huiusmodi enunciationum prima fuerit origo, iudicium mentis humanae rerumque, quales in sensus incurrunt, cognitio: quae nisi antecesserint veluti incitamenta, haud facile quemquam deductum iri arbitramur, ut ipsi aliquid cordi sit quod appetat, quodve refugiat. Loquitur igitur scriptor noster de iis hominibus, qui non tantum *praestare student* ceteris animalibus, sed qui id adfectant, ut etiam a reliquis sui generis excellentes habeantur. Reprehendit enim atque incusat Sallustius homines ignavos et inertes, ventri deditos ac somno; excitatque et cohortatur ingenuos ac liberalioris disciplinae homines, quorum interesse putat, nomen suum vitamque virtute nobilitare atque illustrare. Sunt itaque haec non in universum iudicata, sed de singulis, certe paucis quibusdam praedicantur, qui, quum suam potissimum intueantur dignitatem suamque personam, diserto nomine, id quod hoc loco *Pronomine* fit, definiantur necesse est: ita ut recte et prorsus ex vero iudicasse appareat, qui *oppositionem* vel personarum vel actionum pronomine addito indicari censerent; nisi forte accuratius secretionem velis appellare et distinctionem, si quidem nemo de semet ipso ne tantillum quidem praedicare potest, nisi a reliqua consimilium turba se exceperit. Quae quum ita habeant, illud, quod de pronominis usu et vi Kritzius ad h. l. pronunciavit iudicium infringitur, imo refellitur, utpote qui pronomen in eiusmodi sententiis nonnisi vel perspicuitatis gratia, vel ut oratio lenius suaviusque fluat, adhibitum statuit. Uti enim perspicuitatis legem lubenter agnoscimus, ita quid suavitatis quidve lenitatis inde exsistat, equidem prorsus non videmus. —

Accedat nunc tertium, quo caussam nostram protegere speramus praesidium, quo facilius id quod contendimus, evincamus, ne quis

---

Cat. c. 16. extr. tranquillae res *omnes*; c. 20. in. *omnibus* arbitris remotis; ibid. §. 8. *omnis* gratia. §. 14. *omnia* ea — praemia; intellige: quae excogitari possunt. Liv. VI, 20. m. singulos *universosque* orasse. Et quod Sallustius Catilinam facit eloquentem: neque *animus neque corpus* a vobis aberit, eodem redire cogites, ac si dixisset: me *totum* habebitis vestrum.

verbum *studere* vulgari sensu nostro loco sumendum esse, arbitretur. Ipsum est verbum *niti*, quod proxime subsequitur. Nam quamquam nihil potest reperiri frequentius, quam adfinium ac paene inter se aequalium vocabulorum apud optimos scriptores cumulatio, imo earundem vocum iteratio identidem repetita, longe tamen orationis sive copia sive abundantia dicatur, distat ab eiusdem sententiae sterili quadam et inani repetitione, quam nemo non elegantiae ac diligentiae studiosus abhorret. Verum enim vero ipse locus noster testis adest luculentus, quantum quaque ex parte *studere* inter se discrepent et *niti:* hoc enim vocabulo virium contentio declaratur in rebus externis exserenda, certe quae degendi et agendi rationem susceptorumque eventus spectant; illo animi ac mentis adfectio et voluntas, in semet ipsa veluti acquiescens neque ex penetralibus suis ultra progrediens; quae quidem conditio omnium est, qui acriore aliqua cura et cogitatione commoventur. Nam qui *nititur*, fundamento consistat necesse est firmo et solido, quum ipsi cavendum sit, ne labefactetur neve corruat; at qui *studet*, in intimo quasi cordis pectorisque secessu, etiamsi multa secum agitat reputatque, pacatam placidamque vitam degit. Ille autem *contra* nititur, ac ne adversi quid ipsi accidat, prospicit, ideoque defendentem et prohibentem aemulatur. Quae etiam ratio est, cur particulam *ne* adhibitam inveniamus; nempe significare voluit auctor, quam perniciosa quamque pestifera sit malorum exemplorum contagio, quantaque providentia cavendum, ne tanquam fruges consumere nati vitam inertia et socordia perdamus. Atque similis prorsus locus est scriptoris nostri, qui legitur Catil. c. 37, 3. *odio suarum rerum omnia mutari student:* ubi non tam glossam miramur ex MSS. a Cortio descriptam: *desiderant*, quam quod librariorum nemini expeditius visum sit, genus verbi Passivum in deterius transformare Activum. Deinde locum, quem Cortius ex Livio I, 57. ad illustrandam vocabuli notionem attulit, a re quam tentat, aliquanto abesse, quis est qui non sentiat? Ita enim habet: Rex Romanus tum *ipse* ditari, tum praeda popularium animos *studebat.* Neque Glossatorum approbare licet interpretationem, ut *studere* idem sit quod *desiderare;* praestat etiam hic definitione supra proposita insistere, qua *studere* idem valere censuimus atque *animo delectari*, ob laetum qualemcunque, quo animum perfusum habemus, sensum. Quare recte et scite sibi invicem opponuntur *studere* et *odisse.* Cat. 51, 13.

Sed haec hactenus; mancum enim ex parte et inchoatum huncce libellum relinquere tum temporis ac finium praescriptorum angustiis cogimur, tum ampliore disputationis nostrae ambitu, quo eam extentam invito paene animo conspicimus, admoniti sponte ab opere incepto desistimus. Unum liceat additamenti loco apponere, et tanquam clausula has qualescunque disceptationes componere ipsius exordii Sallustiani paraphrasi seu circumscriptione: Quicunque mortalium ceterorum animalium vestigia sequi nolunt, quibusque persuasum est iudicioque exploratum, aliam hominum esse naturam aliamque conditionem, quam belluarum; quorum itaque quam plurimi interest, ut quantum viribus valeant, prae ceteris emineant animalibus et qui horum similes sunt hominibus, id unum maxime spectent, eoque mentem animumque intendant necesse est, ne quo lubido sensuumque mobilitas ac levitas deducere soleat mortales, ignavia et socordia, uni dediti voluptati, vitam corrumpant.

Verum quid est quod pigeat vel pudeat palam profiteri, nos quoque hisce egregii scriptoris iussis monitos in eo elaborasse, ut iuvenes institutioni nostrae traditos, quid verum, quid pulchrum sit, per hoc ipsum quod modo emensi sumus anni spatium edoceremus, diligenti atque adsidua optimorum scriptorum, quos tulit antiquitas, lectione mentes eorum excoleremus humanitatisque sensu imbueremus, denique ut qualicunque ex parte munus a civitatis Proceribus nobis demandatum, qua etiam nunc decet severitate, et qua valuimus strenuitate administraremus. Faxit Deus, fortissimus ille fortunarum humanarum propugnator atque adsiduus defensor, ut salva et integra civitate, valetudine et nostra et Collegarum secunda, denique omnium omnino terrae nostrae civium, quibus iam sub ipso novi anni initio laetissima quaeque apprecamur, prosperrimis rebus, uti adhuc factum esse confidimus, ita et in posterum nostra institutione aliquid in publicam conferatur salutem.

Sollemnium vero, quae crastino die ex more maiorum, grati in Deum animi testificandi caussa, peracturi sumus, ordo hic constitutus est:

Arthur Buddeus, Altenburgo oriundus, quaestioni: quid ex Spartanorum disciplina nostra etiamnunc aetate aemulatione inprimis dignum iudicandum sit, oratione vernacula respondebit. Quo facto

THEODORUS FRANZ, Geranus, sermone Graeco brevem gentis ac terrae Graecorum exhibebit descriptionem; tum

MAURITIUS BEHR, Gerae natus, quae praecipuae Homericorum carminum ipsi videantur virtutes, oratione Latina docebit; postremo

EDUARDUS HEYDEN, ex pago Ruthenorum Hohenleuben oriundus, brevi carmine Germanico pia pro salute reipublicae nostrae vota nuncupabit.

Quibus quidem iuvenibus, ob laudabile ab ipsis in optimis literis collocatum studium nobis admodum caris atque dilectis, ut indulgentia Vestra animum addere, ac vel maiorem frequentia Vestra cuiusvis virtutis amorem incendere velitis, Vos Inspectores Gymnasii gravissimos, atque omnes omnino studiorum nostrorum Patronos benevolos ac Tutores, qua decet verecundia rogamus.

Scr. Gerae, Kal. Ian. MDCCCXXIX.